

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Wilhelm Schmid

**Resurrectionis Iesu Christi Memoriam Recolendam Commendat Academia  
Ienensis : De disciplinae Christianae cum principiis rationis practicae purae  
consensu quaedam praemittuntur**

Ienae: Stranckmannius-Fickelscherrius, 1788

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820631590>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn820631590/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820631590/phys_0001)

DFG

*Fg 1605<sup>1-10.</sup>*





160  
20

RESVRRECTIONIS  
IESV CHRISTI  
MEMORIAM RECOLENDAM  
COMMENDAT  
ACADEMIA IENENSIS.



J. W. Schmid.

---

*De disciplinae Christianae cum principiis rationis practicae purae consensu quaedam praemittuntur.*

---

IENA  
EX OFFICINA STRANCKMANNIO — FICKELSCHERRIA.

M D C C L X X V I I I .

Ag. 1605<sup>3.</sup>

212  
DEI GRATIA  
**CAROLVS AVGVSTVS**  
DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIUS  
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-  
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-  
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-  
VENSTEINH REL.  
RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.  
**CIVIBVS**

**P**hilosophorum placita et theologiae praecepta quovis tempore a doctoribus, vel prospero vel infelici eventu conciliata fuisse, ex historia utriusque scientiae cognitum atque perspectum habetis, CIVES. Tale negotium denuo nostra aera felici augurio subiectum videtur, postquam celeberrimus KANTVS, philosophus acutissimus tum in *fundo-  
mento metaphysicae morum* a), tum in *cisi rationis practicae* b) nu-  
perrime edita novam univerlae morum doctrinae formulam propo-  
nuit.

Quod ut rite fiat, primo ipsam *virtutis notionem* ex mente *Kan-  
tiana* indagabimus, ut, utrum cum s. scripturae descriptione ac theo-  
logorum definitione consentiat, inde appareat. Haec autem sequen-  
ti *ἀξιωματων* serie nititur c). *Actiones* hominum tum demum (mo-  
raliter) *bonae* appellari solent, cum legi moralis non modo consentia-  
neae sunt, sed propter illam quoque perficiuntur. Iste vero, quae  
ex inclinationum stimulo quodam vel immediate vel etiam mediate  
tantum ortae sunt, bonarum actionum nomine exornari non meren-  
tur. Non enim id, quod placet, quod delectat, quod sensibus suave-  
atque

a) *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten*. Rigae, 1785.

b) *Critik der praktischen Vernunft*. Ibid, 1788.

c) Vid. *Grundlegung etc*, p. 8 — 17.

atque iucundum est, quamquam casu et fortuito cum lege consentiat; sed quod consulto legi accommodavimus, aliqua dignitate gaudet et bona actio in sensu morali proprie appellari potest. Haec igitur dignitas actionis non utilitate quadam, quam consequi cupimus, neque effetu, quem produximus, sed ipsa voluntate, quatenus legi obtemperat, nititur. Finis enim et effectus actionis, nulla legis absolutae ratione habita, ex sensibus et inclinatione quadam primum originem trahat necesse est, adeoque ad morales actiones referri nequit. Itaque et *lex*, quae praecipit tantum, quid faciendum sit nobis ad finem aliquem consequendum, *lex* vel *pragmatica*, *i. prudentiae* vel *problematica* audit; ea vero, quae absque ulla conditione abolute imperat, quae perficere debeamus, *legis* tantum *moralis* nomine insigniri potest. Quare nihil, quicquid sit, actionibus bonitatem moralem atque internam dignitatem comparat, nisi sola reverentia erga legem illam nobis datam, quae quidem omnibus inclinationibus et incitamentis externis atque sensualibus imperat eaque supprimere juber, quae legi aliquo modo aduersantur. Inde vero facile perspectu est, in illis entibus rationabilibus, quae sensibus subjecta sunt et cupiditatibus gaudent, *necessitatem* quandam et *coactionem* *moralem* adesse ex reverentia illa adversus legem ortam, quae cogit ea, legi etiam cum detimento omnibus propensionibus illato summa religione obedire. Itaque *virtus* sive *bona voluntas* ea est indoles animi in nobis dominans, qua actiones nostras non inclinatione aliqua incitati, sed ad officium servandum et observantia legis ducti perficere solemus. Haec magni philosophi placita cum scripturae doctrina admodum convenient, quippe quae tam aliena est a sententia illa, eas actiones ad virtutis exercitium esse referandas, quae sensibus hominum eorumque inclinationibus accommodatae sunt, ut potius cupiditates officiis nostris contrarias, omni studio subigendas et legis divinae imperio subjiciendas esse, saepius gravissime inculcer, et virtutis naturam in adaequata legis divinae impletione ponendam esse doceat. (Rom. VI - VIII. Gal. VI. 16 sqq. I Petr. II. 11 sqq.) Neque minus theologorum pracepta iis quae modo disputavimus, consentanea sunt. Ita enim b. BAVMGARTENIVS d) jam ad *virtutem* requirit, ut actiones ipsa lege determinentur, et fortuitum rationis agendi cum lege consensum veram virtutem esse negat, sed ejus speciem tantum habere contendit. Simili ratione

A 2

Ven.

d) In der theologischen Moral, P. I. C. III. §. 38. Obs. P. II. C. I. §. 98.  
et P. III. C. I. §. 225. 226.

4

Ven. MILLERVS e) veram virtutem, ait, consensum esse moralem plurium actionum cum lege divina, *moralē* autem, quod lege moralī determinatur et ad legem talem se refert, contra *physicū*, quod a legibus naturae immutabilibus dependet. Eadem fere Ven. LESSIVS et TITTMANNVS docent; ille f) libertatem et naturam hominum *moralē* appellat facultatem cum oppressione cupiditatum secundum praecepta rationis decernendi et agendi; et *virtutem* studium prae-dominans omnia officia a deo mandata ea ratione, qua deus ea im-peravit, perficiendi; hic g) officia eas actiones vocat, ad quas lege adstricti sumus, quasque intuitu hujus obligationis perficimus, *vir-tutis* autem essentiam in promptitudine mentis liberae, legibus divinis fideliter obediendi ponit, ac diserte monet, nec consuetudine, nec instinctu naturali, nec cupiditatibus et affectibus, sed sola lege divi-na actiones nostras flectendas ac determinandas esse.

Aliud attentione nostra dignissimum argumentum est disquisi-tio summi in doctrina morum principiū, de quo cel. KANTIVS ad-modum copiose et acute disputat et ab omnibus theologis ac philoso-phis in eo definiendo discrepat. Etenim nec felicitate propria, nec singulorum hominum prosperitate, nec sensu morali, nec perfectio-ne societatis humanae, neque etiam ipsa voluntate divina qua tali primum illud principium et universae morum disciplinae fundamen-tum contineri, uberior demonstrat. Praecipue in refutando prin-cipio ex propria aut singulorum felicitate desumpto valde copiosus est. Cujus demonstrationis ut brevem exhibeamus delineationem, jam ra-tio instituti postulat. *Lex moralis* sive practica e Kantii sententia non universalis tantum et ad omnia entia rationalia directa esse de-bet, sed absolute etiam atque simpliciter absque conditione finis cu-jusdam consequendi adjecta, facienda jubere et vitanda prohibere debet. *Prius* inde apparet, quod lex moralis entibus rationalibus libertate praeditis data alia esse nequit, nisi quae naturae eorum ac-commodata ab omni sensuum influxu sejuncta, ex sola rationis purae et libertatis notione petita, adeoque omnibus ejusdem naturae communis est, nec animo concipi potest, cur, si quaedam naturae rationales hujus legis servandae officio tenentur, reliquae ea nullo modo

e) In dem Lehrbuch der christlichen Moral, Prolegom. §. 7. et 15.

f) In der christlichen Moral, (1777,) Proleg. §. 11. et §. 58.

g) In der christlichen Moral, P. I. C. II, §. 213. 14. P. II, C. I, §. 270, 71. §. 280 - 82. et C. III, §. 418,

modo adstringantur. *Posterius* ex eo clarum est, quod in pracepto conditionato necessitas absoluta, qualis in lege morali requiritur, non adest, sed hypothetica tantum, adeoque illud praecipuum legis moralis nomine atque dignitate ornari nequit, sed lex tantum pragmatica sive concilium prudentiae non ad omnes, sed ad singulos spectans, non immutabile, sed inconstans valde atque vacillans appellari potest h). *Felicitas ergo hominum tum propria tum aliorum summum moralitatis principium esse nequit.* Felicitas enim est expletio atque exsatiatio omnium cupiditatum tam extensive quoad varietatem, quam intensive quoad magnitudinem vel gradum, et protensive quoad durationem i). Hanc felicitatem semper cum vera virtute copulari eique exacte respondere, experientiae prorsus repugnat, cum saepenumero is, qui officium diligentissime servat, vel innocentissimis cupiditatibus renuntiare debeat, summisque molestiis et incommodis afficiatur, ii contra, qui officia negligunt, saepe votorum compotes fiant, multisque commodis et voluptatibus fruantur. Deinde ad virtutem constituendam haec felicitas nihil confert. Non enim illum bonum virum atque integrum appellabis, qui se felicem reddidit, sed qui, etiam si magnis calamitatibus obrutus fuerit, officia sua oppressis cupiditatibus fideliter explevit; virtuti potius adversatur, si ex prosperitate illa rationes moventes petendas esse putamus, propter ea quod vitiis dediti iisdem ad felicem committenda utuntur, ita ut hoc modo omne virtutis atque vitiis discrimen penitus tollatur k). Accedit tandem et hoc, quod, dum felicitatem tantum nostram aut aliorum promovere studemus, non legi morali, nisi aliud jam principium agendi praemissum sit, sed cupiditatibus nostris obediamus; deinde quod ipsi haud satis intelligamus, quid nos aliosve revera felices reddat; denique quod non omnes in iis rebus, quas cupiunt et ad prosperum suum statum referunt, satis inter se consentiant, sed miris modis potius discrepent, ita ut lex omnibus communis et principium satis firmum atque stabile inde deduci nullo modo possit l). Ex quibus omnibus perspicuum est, felicitatem sive cupiditatum expletionem minime aptam esse boni rectique normam ac regulam, ex eaque primum moralitatis principium derivari non posse. Aptius

A 3.

qui-

h) In der Grundleg. z. Metaph. d. Sitten, p. 17 sqq. 34 sqq. 97 sqqet 110 sqq.

i) In der Critik der reinen Vernunft, ed. noviss. p. 834.

k) In der Grundleg. z. Metaph. d. Sitten, p. 90 sqq.

l) In der Critik der practischen Vernunft, p. 45. 46.

quidem alterum videtur *principium* nostra aetate usitatissimum atque tritissimum, quod ex *perfectione societatis humanae* in hoc orbe promovenda defumitur; quippe quod ita comparatum est, ut hac actionum norma constituta, cupiditatibus non regamur, tamen, nisi alii superiori principio subordinaveris, admitti nequit. Nimis enim lubricum est, cum id, quod perfectionem illam constituat atque promoveat, neque ratione neque experientia definiri possit et, quoniam a natura tantum hominum deducitur, ideoque ad reliquias naturas rationales applicari nequit, summi principii et legis universalis dignitatem non habet m). Denique et *ipsa voluntas Dei* ad hunc finem consequendum non sufficit. Quodsi enim id efficere velis, vel *perfectiones Dei* morales ex *idea moralitatis* et principio jam constituto antea deducendae sunt, ut, leges illas divinas revera morales esse, patet, vel si forsan ob circulum tunc non evitandum hoc tibi incongruum videbitur, voluntas Dei potens quidem ac velut tyranni praeципiens, at non sancta apparebit, ita ut nisi metu coactus ei obedire non possis, quod quomodo cum moralitatis notione conciliari queat, nem o sane declaraverit n). Quae cum ita sint, *sumnum doctrinae moralis principium* KANTIVS in *universalitate legislationis* repperit et *legem practicam omnium primam* hanc esse docet: *ita age, ut velle possis, regulam quam in agendo sequeris, legem universalem esse o*); vel ita, *ut te singulasque naturas rationales omnes non tanquam media sed velut suum per se talem consideres atque trades p*); vel etiam ea ratione, *ut credere possis, legem tuam legem cuiuslibet entis rationalis tanquam legislatoria voluntatis esse q*).

Quae quidem summa lex ita comparata est, ut pro fundamento universae doctrinae morum omnino accipienda sit. Hoc eo facilius absque periculi metu viro celeberrimo concedendum esse credimus, quod revera *non obscura* hujus principii vestigia tum in *scriptura*, tum in *libris*, qui morum disciplinam Christianam trahant, deprehendimus. In codice sacro angelis eadem virtutes laudi ducuntur, quae ad officia mortalibus praescripta referri solent. Paulus dum ad amorem mutuum exhortatur, hac ratione movente utitur: *quod*

m) In der *Grundleg. z. Met. d. Sitten*, p. 91 sq.

n) L. c. pag. 92.

o) Loc. cit. p. 17. et 52.

p) L. c. p. 66.

q) L. c. p. 70.

quod in unam societatem humanam ac Christianam conjuncti simus,  
 ἐν σώμα, ἐν πνεύμα καὶ μιαν ἐλπίδα της κλητεως ἡμων possideamus. (Ephes. III, 3-5) Cùm etiam eum in finem ad virtutem colendam admonemur, ut beatitate summa, quae absque virtute cogitari nequeat, post mortem frui possimus, (1 Cor. VI, 9.10. Gal. V, 19-21. Apoc. XXI, 27. C. XXII, 14. 15.) patet, officia Christiana non hujus vitae termino definita, sed ad alterius etiam vitae statum omnino referenda esse. Praecipue Christus saepius simili principio in commendanda virtute uititur: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, et quod tibi vis fieri, alteri feceris;* quod quidem praeceptum est non pro supra omnia actionum formula ac lege haberi potest<sup>r</sup>), cum ea tamen, quam Kantius proposuit, mire conspirat ex eaque facile deducitur. Hanc legis moralis universalitatem etiam Ven. Lessius urget, dum dicit s): legi divinae obedire officium non nostrum modo est, sed archangeli quoque, nec non summi spiritus, qui, si ita dicere fas est, divinitati proximus evadit; at hanc universalitatis ideam alio loco iterum deferit vir celeberrimus, dum salutem societatis humanae, (cujus sodalis archangelus non est,) fundamentum omnium legum rationalium atque divinarum esse contendit t). Simili modo Ven. TITTMANNVS interdum hoc principium ad commendandam virtutem adhibet, ut in demonstrando amoris mutui officio u): si inter omnes dominaretur haec virtus, omnem miseriam humanam non solum sublaram et tranquillitatem in terra restitutim, sed nos etiam ad beatitudinem futuram fruendam aptiores deprehenderemus. Quae omnia fatis probare videntur, principium modo laudatum jam in ipsa hominum natura latere, quamvis hujusque nondum et latebris protractum et in doctrina morum pro merito ac valore suo fatis adhibitum fuerit. Erunt autem fortasse, quibus periculose videatur, quod voluntatem Dei KANTIVS fundamentum moralitatis actionum atque virtutis esse negaverit, cum plerique theologi hac divina voluntate universam disciplinam Christianam nisi arbitrentur. Sed salva res est. Kantius non omnem Dei voluntatem rejicit, sed eam tantum, quae absque perfectionibus moralibus cogitatur et in formandis morum praeceptis ab ea initium facien-

r) Vid. KANTIVS loc. cit. p. 68. Obs.

s) In der christlichen Moral, Proleg. Sect. V. §. 40.

t) Ibid. Sect. III. §. 25.

u) In der christlichen Moral, p. II, C. III. §. 482, 83.

faciendam esse negat, quod perfectionem legum divinarum cognoscere non valeamus, nisi jam principium aliquod purae rationis praestruxerimus, Ipse contra ex hoc systemate moralitatis principiis rationis practicae purae superstruendo existentiam entis supremi intelligentia et ratione perfectissima sanctissimaque voluntate praediti, hoc est, Dei deducit, eumque *exemplar summi boni* et *perfectissimum legislatorem esse*, ita ut mandata ejus legibus rationis purae exacte respondere debeant, copiose ac subtiliter demonstravit v). Inde vero apparet, mandata divina et rationis purae praecepta eundem valorem habere eandemque necessitatem moralem et obligandi vim continere. Ipsa etiam scriptura sacra non voluntatem Dei absolute, sed quatenus sanctissima atque perfectissima et praeceptis rationis consona est, in praescribendis officiis fundamenti loco adhibet, quemadmodum Paulus (Rom. XII, 1. 2) λατεριαν λογικην a Christianis Deo praestandard postulat ejusque voluntatem θελημα δύαθον, ἐναρξον και τελεσον appellat. Quare etiam KANTIVS, e pluribus morum disciplinis solam Christianam rationis practicae postulato acerrimo satisfacere docet w). Itaque disciplinae Christianae doctores recte voluntatem Dei in hoc sensu et cum hac restrictione fundamentum universae hujus doctrinae esse credunt et principium ejus cognoscendi codicem sacram novi foederis, principium ejus obligandi leges Dei revelatas, principium internum omnium officiorum obedientiam erga Deum atque Iesum, externum vel normam eorum leges Dei atque Iesu Christi esse affirmant x). Sed in eo errare videntur, quod vim illam obligandi non ex interna legum divinarum perfectione, sed ex dominio Dei supremo et naturali nostra ab eo pendentia deducunt y), legesque divinas unicam actionum moralium normam (exclusa, ut videtur, rationis humanae lege) esse contendunt z). Ita etiam exemplo Christi talis obligandi vis tribui potest, quatenus summo ac perfectissimo virtutis exemplari responderet, quamvis in se spectatum nullo modo talem obligationem involvat, quod theologorum placitis omnino consentaneum est aa).

Ex his, quae modo disputavimus, facile dijudicari potest, quae-

nam

v) In der *Critik d. rein. Vern.* pag. 832.

w) In der *Critik d. pract. Vernunft*, p. 229 sq.

x) Cel. LESSIVS in der *christl. Moral*, Prol. Sect. II. §. 13 c. 1. 2. §. 38  
et TITTMANNVS l. c. Prol. §. 8. 10. Part. II. Cap. I. §. 280. 85.

y) Cel. TITTMANNVS loc. cit. P. II. C. I. §. 288,

z) Id l. c. §. 285.

aa) Id. loc. cit. P. I. C. II. §. 230.

nam, si praecpta illa sequimur, ad producendam et commendandam virtutem argumenta moventia adhibenda sint? Nimis omnia eo redeunt, ut *necessitas moralis sive obligatio*, quae sola officium et actionem moralem producit, rite probetur, reliqua argumenta omnia persuadentia quidem sed non juste moventia, quae veram virtutem producant, appellari possunt. Necessitas moralis sive obligatio vel ex universalis valore regulae agendi sive voluntate hominis leges universales constitente, vel ex voluntate Dei perfectissimi legislatoris rite derivari queunt, contra expletio cupiditatum sive felicitas hominum, adeoque confessaria actionum bona et mala consulunt quidem, sed impetrare et vera atque pura argumenta moventia exhibere nequeunt. Sed ne perverse haec intelligentur, uberior ea ex mente *Kantii* explicare utile ac necessarium censemus. Nempe primo cupiditates hominum omnes per se malas adeoque penitus tollendas esse neutiquam arbitratur vir doctissimus, quin potius diserte docet, leges rationis purae (adeoque et leges divinas) instinctibus hominum naturalibus et quidem generalibus, qualis est instinctus vitam conservandi, nunquam repugnare, easdem etiam inclinationibus, quas vocant subordinatas, quaeque ad objecta singula directae sunt, velut votum delectatione quadam fruendi, saepissime conformes esse. At hoc vult Kantius idque copiose acuteque demonstrat, ad officium nostrum constituendum virtutemque producendam cupiditates illas plane nihil conferre, eas nullo modo, quid rectum atque bonum sit, definire, adeoque restrictrices atque duces actionum nostrarum esse non posse, potius a lege morali semper dirigendas et vel tolerandas vel cohibendas esse, ne virtuti noceant (bb); quae omnia scripturae sacrae praceptis, sicuti antea demonstravimus, admodum respondent. Deinde felicitatem nostram promovere eandem ob causam secundum placita ejus principio moralitatis non repugnat, nec ratio practica pura oppressionem hujus desiderii postulat, contra quodam respectu officium est cuiuslibet, felicitatem suam promovendi, ut eo magis officia sua observare possit, neque ad negligenda ea forsitan alliciatur; quemadmodum certam prosperitatis partem semper effectum virtutis haud infucatae esse, extra omnem dubitationem positum est cc). At ex hac felicitate ipsa officia deducere,

B

idque

bb) In der *Grundleg. z. Metaph. d. Sitten*, pag. 8 sqq. et in d. *Critik d. prakt. Vern.* p. 100 sqq.

cc) In d. *Critik d. prakt. Vern.* p. 166 sqq. et in der *Grundleg. z. Met. d. Sitten*, p. 11 sq.

idque bonum rectumque pronunciare, quod commoda quaedam nobis adfert, plane incongruum et nefas cuilibet videbitur et sensui communi aperte contradicit dd). Quodsi vero hanc felicitatem fundamentalm esse officiorum affirmaverit quis, id nullo alio modo fieri poterit, nisi finis hic ad omnes extensus et cum prosperitate omnium copulatus universalem legem constitutus ee). Quod etiam de felicitate aliorum hominum promovenda itidem affirmari debet. Ex hoc porro manifestum est, *consectaria actionum tum bona virtutis, tum mala vitiorum*, nisi ad ceteras omnes mentes rationales referantur, nec argumenta moventia pura constituere, nec veram virtutem producere posse. Ex eo enim, quod commoda aut detrimenta mihi afferunt, quis definire audebit officia sua? cum omnia illa *consectaria* adeo incerta et mutationi obnoxia sint, ut principium firmum esse nequeant, varia que tergiversationes et objectiones ex experientia sumtas admittant ff). Tandem ad felicitatem futuram sive beatitudinem aeternam quod attinet, ex ea etiam notionem virtutis, officium ipsum atque principium obligandi deduci posse, non minus negat KANTIVS, quoniam virtus vera dici nequit, si quis sua tantum quaerit, neque reverentia erga legem ductus, sed ob suam tantum felicitatem promovendam legi obtemperat. Attamen ad virtutem perficiendam in entibus rationalibus finitis necessariam eam omnino ducit gg). Enimvero duo ad summum enis rationalis bonum requiri putat vir eruditus, et virtutem et felicitatem sive remunerationem huic virtuti adaequaram. Quilibet enim, qui virtutem colit, ejusmodi felicitate dignum se reddit, ipsa vero ratio, quae agenda imperat, felicitatem hanc nec promittere nec largiri potest, tamen eandem sperare jubet, quoniam hac spe praecisa et tam gravi incitamento deficiente virtus ad actum perduci non poterit. Ratio ergo humana societatem quandam entium rationalium sive mundum intelligibilem, cuius caput Deus est, necessarium cogitat, in quo bona, prout virtute sua sodales illis dignos se reddiderunt, aequabiliter distribuantur. Qui quidem mundus moralis sive regnum gratiae datus cum in hac vita locum habere nequeat, post mortem adhuc necesse est, ideoque tum beatitudinem alteram summi boni partem ratio pra-

Etica

dd) In der Crit. d. pr. Vern. p. 158.

ee) Loc. cit. pag. 60. 61.

ff) Vid. Grundleg. z. Metaph. d. Sitten, pag. 15. et 33. Obs. coll. Critik d. pract. Vern. p. 1. 4 sq.

gg) Copiose hac de rediisse rit in der Critik der reinen Vernunft, p. 832 fqq.  
nec non in der Critik d. pract. Vern. p. 198 fqq. p. 219 fqq.

Etica omnino certo exspectare jubet. Haec omnia accurate perpenfa  
cum disciplinae Christianae placitis optime cohaerent. Nefas quidem  
habendum est; implicatori ac lubrica via incedere, et more consueto ani-  
mos hominum ad officia praestanda confectariis virtutis ac viitorum  
propositis commovere; at sacri scriptores etiam hac methodo plerum-  
que non utuntur, sed simplicissimo modo officia Christiana exponunt  
et ad ea exequenda animos hominum incitare student. Nimirum vel  
voluntatem Dei esse docent, ut 1 Thessal. III, 3. τάπτο ἐσι θελημα τά  
Θεος, vel officia esse Christiani monent, ita ut is qui ea neglexerit ad  
societatem Christianam non pertinere contendant, vel ad λατρειαν Θεος  
λογικην referunt, Rom. XII, 1. 2. vel ad ipsam virtutis dignitatem pro-  
vocant, vel etiam ad indolem Christianam, πνευμα Θεος και Χριστου  
necessario referenda esse demonstrant; et si rationibus sensualibus in-  
terdum utuntur, id propter infirmitatem rationis et depravatam volun-  
tatem hominum fieri, neino est quin facile perspiciat; quemadmodum  
ipse KANTIVS concedit, in vita communi haec argumenta inci-  
tantia veris atque puris adjicienda esse, sed eum tantum in fiac, ut  
vitiorum allegationibus calcar aequa forte objiciatur hh). Id quidem  
cel. TITTMANNVS jam intellectus videtur, qui istas rationes moventes,  
quae ex conlectariis virtutis atque vitii desumptae sunt, ad indirectas et  
interdum tantum admittendas refert ii). Quod vero ad beatitudinem fu-  
turam attinet, religio Christiana promiss suis certissimam ejus spem ex-  
citans, gravissimum omnino ad officia servanda calcar et incitamentum  
exhibit, virtutemque maximopere corroborat, atamen non facile spem  
istam excitat, nisi ipsa officia jam proposuerit eorumque observationem  
necessariam declaraverit, quemadmodum S. Petrus 2. ep. I, 3 — 11.  
hunc ordinem sequitur, et admonitione gravissima ad virtutes singulas  
colendas praemissa addit: tunc aditus ad aeternum regnum Iesu Christi  
abundanter Vobis aperietur. Itaque officia non ex idea hujus beatitudinis  
deducit atque explicat, sed eandem sub conditione virtutis tantum pro-  
mittit, praeterea perfectam quidem sanctitatem praescribit, tamen  
imperfectae etiam virtutis futura praemia, certissime sperare ju-  
bet. Quare etiam fidem ad virtutem excitandam necessariam dicit et  
utramque inseparabili nexu conjungit. Hac ergo doctrinae suae indo-  
le omnia philosophorum systemata admodum superat kk).

B 2

etiam

hh) In der Critik d. prakt. Vern. p. 158.

ii) Loc. cit. P. II. C. I. §. 283.

kk) Vid. KANTIVS loc. cit. p. 229 fqq.

[decorative line]

etiam nostra digna est praecclara harmonia, quam inter s. scripturae βασιλειαν της Θεου, της Χριστου, των δρασανων, της δοξης et βασιλειαν αιωνιου ejusque qualitatem, imperfectionem regni in hac vita ac perfectionem regni futuri, nec non ecclesiam Christianam, cuius caput Christus est, et Kantii mundum intelligibilem ac moralem, quem gratiae regnum vocat, primo jam intuitu deprehendimus II). Tandem brevibus attingamus, quod ex his, quae modo disputavimus, facile efficitur, morum doctrinam per se consideratam propriam doctrinam felicitatis appellari non posse, quippe quae non instruit nos, qua ratione felicitatem nostram promovere, sed potius quomodo ea nos dignos reddere debeamus. At quoniam doctrina Christiana, postquam ea quae agenda sunt, proponuit, illis qui ea observant beatitudinem aeternam, promittit, adeoque ad felicitatem dicit, Christiana disciplina, ut hoc nomine ornetur, digna omnino est judicanda mm).

Plura adhuc a nobis encodanda essent, si omnia Kantiana placita cum disciplinae Christianae praeceptis conferre permisum esset. Multa enim notata digna de amoris erga deum, erga alios ac nosmetipso, de libertatis notione cum ea, quam Christus proposuit, comparata, de imputatione actionum morali, de merito bonis operibus non tribuendo aliaque adjicienda essent. Sed quoniam fere extra fines terminosque constitutos jam egressi sumus, haec omnia ad aliud tempus differenda sunt, quo opportunitas major argumentum hoc uberioris tractandi, permitteatur. Potius ad id properamus, cuius causa haec omnia praemissa sunt. Nimirum divinus praestantissimae disciplinae Christianae auctor ac praeceptor Iesus Christus atrocissime occisus in vitam rediit eoque certissinam spem futurae felicitatis, tanquam praeclari virtutis nostrae premii in nobis excitavit. Diem ergo hunc resurrectionis ejus sacrum non melius atque dignius celebrare poterimus, quam si virtutem, quam docuit, sincerime colere, adeoque fidelissimi της βασιλειας των δρασανων in hac vita sodales fieri, omni opera enitamur, ut dignos nos beatitudine futura reddere et ex mundo hoc sensibili ad caelestem aliquando, eveneti summa felicitate perfui, adeoque summi boni omni ex parte participes fieri possimus. Quod ut faciat, Vos, CARISSIMI CIVES, ferio ac humanissime hortamur, diemque hunc, si id feceritis, felicissimum Vobis fore, certo speramus atque confidimus. P. P. primo die Paschatos, CCCCCCLXXXVIII.

II) Vid. Critik d. rein. Vern. p. 812 sqq.

mm) Praeclare id demonstravit KANTIVS l. c. pag. 234 sq.

(L. S.)










Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn820631590/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820631590/phys_0020)

DFG



Patch Reference numbers on UT

Serial No. 011

Image Engineering Scan Reference Chart TE63

the scale towards document

tisti ejusque legatorum consilio differt; qui doctrina et  
ri studium indefessum et mansuetudinem in propaganda  
pius gravissime inculcarunt! Est igitur profecto, quod  
alemur, quod illis temporibus vivere nobis contigit,  
um sine ira et studio quaerere, idque quod nobis per-  
absque formidine libere profiteri ac defendere licet,  
doctrina religionis magis magisque ab inanibus paleis  
emo in propagandis dogmatibus aliis forte armis quam  
umentis usus risum intelligentium vel odium proborum  
ffugere paret. Hac igitur opportunitate ut recte uta-  
io sanctissimo tenemur. Nostrum est, veritatem quieta  
anquilla meditatione quaerere, τὸν ἐμφύτον λόγον δεξα-  
τυτι, ἀποθησενται πάσαν ἑπταριαν και περισσειαν κακιας,  
um studium sedulo vitare, non in verba jurare magi-  
orumque sequi auctoritatem, neque opinionibus invete-  
inharere neque novas tantum sententias avide arripere,  
nostram firmissimis quantum fieri potest ad persuaden-  
nentis stabilire.

s illa controversia nos docet, omnes illas subtilissimas  
es in capitibus religionis mysteriisque fidei nullius pretii  
pe quae prorsus nihil ad promovendam virtutem et tran-  
animi faciunt. Omnia quae Christus et apostoli docu-  
saluberrimam doctrinam amplificandam, ad virtutem  
Dei εν πνευματι και ἀληθεια puriorem, denique ad con-  
flicitatis spem valuerunt; et Paulus apostolus serio  
octores, (1 Tim. I, 5. C. VI, 4. 5. 20.) ut ζητησεις  
χιας, εξ ιω γινεται Φιδονος, ερις, Βλασφημια και υπονοιαι  
αραδιατριβας και βεβηλους κενωφονιας sedulo fugiant, con-  
στης παραγγελιας, ἀγαπην εν παθαρας παρδιας και συνειδησεως  
πιστεως ανωποκριτου semper servare studeant. Quod  
obis in omni re, praesertim in doctrinae religionis stu-  
r curae cordique esse debet. Ut enim atrox illa alteratio,  
ristus una natura composita, an duabus arctissime con-  
uideat, nihil virtuti ac religioni profuit, ita ad hunc finem  
ciet acutissima et subtilissima investigatio modi unionis  
in Christo hypostatica, communicationis idiomatum,

diyer-